

NAMVRCVM SI

PROVINCIÆ huic, Comitatus titulo gaudenti, Namurci nomen est. Istud verò à Metropoli ne in eis, an verò metropolis ab ipsa sibi assumpferit, haud exploratum quisquam nostrorum habet, quemadmodum ne ipsius quidem nominis originem, ab indigenis etenim Namur, à Germanis autem Nomen dicitur, quid tamen propriè significet, ignorant. Fabulosam enim arg; anilem eorum duxerim sententiam nullius probati scriptoris testimonio confirmatain; qui afferunt olim in monte ipso, cuius in iugo etiamnum arx propter urbem Namurcum suspicitur, i dolam quoddā Nani cognomine coli solitum, quem fatidicum fuisse ac responsa perentibus dedisse f-erunt, deinceps autem parefacta & inualescente iam fide Christiana, obmutuisse ipsum, atque sic ex mobili cum fixo coniuncto Namurcum conflatum esse, quasi dicas Nanum mutum. Prouincie huic vicini sunt Leodienses, Brabanti, Hannones ac Lucenburgenses. Duo eam flouij illustres ac nauigabiles irrigant, Mosa nimirum & Sambrius. Montibus regio non asperatur, quamvis neque plana omittit, sed collibus ac vallibus hinc inde extollatur. Sylvas habet complures, quorum maxima est ea quam Marlaignen vocant, in ijsque crebra nobilium venatio esse solet. Omnia quibus ad sustentationem sui vita humana indiget, fructuum ferax est. Ferrifodinas habet multas. Effodiuntur ibidem lapides nigri, seu vt verius loquar, lapidei carbones, quos Germanicè lapides carbonarios (Steinkolen) vocamus, à literatis Lidandrakes appellantur. in his mirabilis quedam naturæ operatio appareat: cùm enim in cæteris corporibus infusum oleum ignis flamman alat atque augeat, contra autem superinfusa aqua ardorem aut extinguit aut minuat; hi superinfusa aqua accenduntur, oleo autem extinguntur. Incolæ (quemadmodum etiam circumiacentes vicinæ regiones ad quas ijdem transire huncuntur) calidissimos ac lucidissimos sibi ex his ignes in domibus suis struunt. Fabri etiam ferrarij frequentius his in officinis suis utuntur, siquidem facilis quām alij ex ligno vsi carbone ferrum mollificare queunt. Lapidum etiam fodinas in eodem hoc comitatu videre est, ex quibus nigra, rubea ac versicoloria effodiuntur marmora, quæ ad exterias nationes abducuntur, magno hominibus sunt usi in templorum ac magnificarum domium ædificatione atque exornatione. Vnde etiam haud exiguum lucrum ad terram hanc redit. Quatuor habet urbes muro cinctas comitatus hic: Namurcum videlicet, Bouuignes, Charlemontium ac Vallencuriam. Namurcum, ut supra monimus, prouincie metropolis est, atque haud ita pridem Episcopalis eō translata sedes est. loco sita opportuno, in confluentia nimirum Mosæ ac Sambre fluviorum, ducto ad utriusq; littus ponte lapideo, in hac etiam totius regionis curia est. Bouuignes ad lacum Mosæ latus sita, olim ob ædificiorum magnificentiam atque incolarum multitudinem urbs spectata erat, nunc verò varijs bellorum cladibus afflicta & destruēta, parui valoris est. Charlemontium arx est munitissima atque inexpugnabilis penè, extructa ad Mosam fluvium à Carolo quinto Imperatore, à quo etiam nomen adepta suum est, cuius vix similem reperire liceat, prospicitur namque in monte excelsa, haud procul à Gueto pago. Vallencuria oppidum minimè aspernandum. P̄pter Abbatias, quarum complures sunt, circiter octoginta pagi in prouincia hac numerantur, quorum aliqui ex quibus sunt Floreff, Vascie, Sanfon, &c. adeo sunt ampli atq; egregij, vt non alias tantum pagos longè antecellere, sed cùm vicis atque oppidis quibusdam certare quoque videantur. Olim regio Marchionatus titulo claruit: circa annum autem 1200. in Comitatum redacta est. Incolæ viri sunt bellicosi; principi suo toti addicti ac fauentes, Gallicè loquentes. Prouinciam hanc, quemadmodum etiam plures Belgij regiones, accuratissimè ac diligenter descriptis Ludouicus Guicciardinus.



